

QK497,6

JJ59,6

II K  
4394

ORDINARIVS  
SENIOR ET CETERI DOCTORES  
COLLEGII IVRIDICI  
NOBILISSIMO AC CLARISSIMO  
ADRIANO DEODATO  
STEGERO  
LIPSIENSIS  
SVMMOS IN IVRE HONORES

D. VII. MART. CICDCCXL.

COLLATOS

INDICVNT.

*De nuptiis  
uentum auctor  
celebratis*




ORDINARIAS  
SINIS ET CULTU DOCTRINAE  
COLLEGII TURRICI  
NAUTICIS AD CERTAM  
OTARIO DEODATO  
SESTERRA

QVM QM IN HIR HONORES

1515. 1516. 1517. 1518.

COLLEGII

NAUTICIS



1515. 1516. 1517. 1518.



**D**ubium Iurisprudendae Ecclesiasticae  
argumentum, quo usque nuptiae  
liberorum sine parentum auctoritate  
celebratae effectus ciuiles  
matrimonii sortiantur, aggressuri,  
plerisque diuina iura naturalia  
positiuis, et in his iterum vniuersalia  
particularibus misceri, ut et con-  
fensus expressi indolem a tacito, imo a rati-  
bitione nimium et praeter rem, quoad esse-  
tum, diuelli deprehendimus. Conciliatio-  
nem igitur discordantium canonum et senten-  
tiarum allaturi, primo Iuris diuini naturalis et  
positiui, dein Canonici, post Iustinianei hac in re

A 2

pla-

## IV

placita praemitti debere arbitramur. Natūrae enim lege liberis, saltem donec familiae pars sunt Parentum, Patris praecipue in nuptiis ineundis consensum negligere absque irritatio-  
nis periculo haud integrum est: GROTIUS de  
*I.B. et P.L.II.5.3.* PVFENDORF. de *I.N.*  
et *G.L.VI.2.14.* BVDDEVS *Theol. Moralis*  
*P.II.c.3.S.6.* §.30. quod et indoles status  
familiae euincit, et exempla gentium moratio-  
rum a GERHARDO *Locor. Theol. T.VII.*  
*loco de coniugio* §.64. et MORNACIO ad  
*L.2. ff. de R.N.* excitata satis demonstrant.  
Eadem plane ratione lege diuina promulgata,  
Num. XXX, 4. sequ. irritatur votum vel iure  
jurando corroboratum puellae, quae in domo  
Parentis est; vt ex hoc, GERHARDVS *l.all.*  
§.61. ducto argumento a majori ad minus con-  
cludat, patrem, qui filiae votum Deo factum  
contradicendo irritum reddit, multo magis  
promissionem matrimonialem a filia alteri fa-  
ctam rescindere posse. Integrum quoque erat  
Patri Nuptias filiae quamvis vitiatae Exod.  
XXII, 16. 17. impedire: quod vt iuri morali  
adeoque vniuersali et perpetuo acceptum fe-  
runt nostrates, GERH. loc. cit. CHEMNIT.  
*in Exam. Conc. Trid. P.II.l.14. ad Can.12.*

§.4.

§. 4. CARPOV. *Iurispr. Confst. L. II. Tit. 3.*  
*def. 39. sequ.* ita si quis portiunculam malit le-  
 gis Hebraeorum forensis, hoc ipso confitebitur,  
 imperium ciuale in liberos potestati patriae sub-  
 jectos ad exemplum diuini legislatoris , leges  
 recte pretendere posse , cum diuina illa ad mi-  
 nimum id ostendat, hoc quod ea praecipieba-  
 tur, cum naturae lege non pugnare. G R O T.

L. I. c. 1. §. 17. THOMAS. *Iurisprud. diuinæ*  
 L. I. c. 2. §. 129. seq. BVDDEVS *Theol. Mo-*  
*ralis P. II. c. 1. §. 15.* in notis. Nec ab ea  
 sententia recessit antiquiorum Canonum et De-  
 cretalium doctrina. In Gratiani compilatione  
 c. 30. qu. 5. c. 1. luculentus est locus, qui etiam si  
 EVARISTVM autorem non habeat, sed ad De-  
 cretales Ante-Siricianas spurias pertineat, quas  
 Seculo VIII. ab Isidoro quodam orbi obtrusas  
 docuit BLONDELLVS in *Pseudo-Isidoro* et  
 Turriano *Vapulante*, vid. FRANCISCVM PA-  
 GIVM in *Euaristo T. I. p. 10.* et vehementer  
 dolet BALVZIVS in *praef. ad Reginonem de*  
*disciplina Ecclesiastica* §. 3. et in *praef. ad*  
*Augustinum de emendatione Gratiani* §. 2.  
 aetatis tamen illius ea in re mentem conf. NI-  
 COLAI I. *Epistol. C. 30. qu. 5. c. 5.* expri-  
 mit , quam apud eundem GRATIANVM

## VI

*I. all. c. 45. et c. 32. qu. 2. c. vlt.* priorum quoque  
Synodorum Canones Carthaginensis et Tole-  
tanae tertiae, Leonis item I. auctoritas satis tuen-  
tur. CHEMN. *I. all.* DVAREN. *de Nuptiis c. 2.*  
*ad Tit. soluto matrim.* CORASIVS *Miscell.*  
*L. I. c. 14.* MERILLVS *ad pr. Inst. de Nupt.*  
*AERODIVS de Iure Patrio p. 649.* Quid de-  
nique hic egerit Ius Romanum, vel Iustinia-  
neis nouis instillandum, putauit Imperator, qui  
vbi *pr. I. de Nupt.* inter praecpta legum in iu-  
stis nuptiis celebrandis obseruanda istam quo-  
que retulisset cautionem, dum tamen, si filii  
familiarum sunt, consensum habeant paren-  
tum, quorum in potestate sunt, mox addit,  
nam hoc fieri debere et Civilis et Naturalis  
ratio suadet in tantum, ut iussus Patris  
PRAECEDERE debeat, et ne quid perfectio-  
ni legis deesset hanc horrendi carminis sanctio-  
nen *§. 12. eod. subiicit:* Si aduersus ea,  
quae diximus, aliqui coierint nec vir, nec  
vxor, nec matrimonium, nec dos intelligitur.  
Itaque ei qui ex eo coitu nascuntur in pot-  
estate patris non sunt, (quantum ad patriam  
potestatem pertinet) quales sunt ii, quos  
mater vulgo concepit: nam nec hi patrem  
babere intelliguntur, cum et iis pater incer-  
tus

tus fitos Quod a non insimi subsellii interpre-  
 tibus MERILL. d. l. BACCHOVIO ad pr. I. de  
*Nupt. in fin. FRANZKIO Exerc. II. qu. 5.* in eam  
 partem accipitur, vt nec post l. 5. C. de *Nuptiis*  
 ratihabitionis in praeteritum hic aliqua vis sit. Id  
 equidem obscurum non est, consensum nuptias  
 praecedentem qualem exigunt leges, non nisi  
 expressum esse posse, quod tacitus in sciente fa-  
 ctum ipsum aut comitetur aut demum subsequatur.  
 l. 7. C. ad SC. Macedon. l. 25. C. de donat.  
*inter Vir. et Vx.* At si ad singula ex diuina  
 naturali er reuelata lege capita attendamus, id  
 inde conficiemus, parentum maxime Patris vt  
 familiae capititis, consensum requirendum esse,  
 quo ipso tamen neque tacitus, scientis patientia  
 innixus, cum contradicere deberet et libere pos-  
 set, nec ratihabitio, quae rerum actarum appro-  
 batio est, excluditur. Deinde Patrem irritare,  
 votum et nuptias posse; vt vero iure isto vta-  
 tur, non cogi. Quodsi enim cognouerat Pa-  
 ter votum filiae, quod pollicita est, et iuramen-  
 tum, quo obligauit animam suam, et tacuerat,  
 voti vtique rea erat: Sin autem eodem die, vt  
 audierat, contradixerat Pater, et vota et iura-  
 menta eius irrita erant, Num. XXX, 46. Stu-  
 prum inferens, stupro cognitam aut dotat aut  
 ducit.

## VIII

ducit, Exod. XXII, 16. Deut. XXII. 29. Sed si Pater Virginem dare noluerit, dat pecuniam iuxta modum dotis Exod. c. all. v. 5. 17. qua in re meminisse debemus, quod quae eius generis sunt, ut solam facultatem agendi tribuant, necessitatem autem ius persequendi non impo-  
nant (iuris permittentis dicunt) in Statu Ciuitatis, in quo cuiusuis ius, quod in potestate eius situm est, arbitrio imperantis ad finem publicae rei attemperato subest, mutationi obnoxia esse, ut proinde minime iniuria fiat patri, si matrimonium ignorantे eo vel inuito a filio contratum, modo interdictis Leuit. XVIII. et XX. propositis non feriatur, rescindi prohibeatur. Constat praeterea Ius Pontificium recentius, quod qua Compilatione Gregoriana comprehenditur, Ecclesiae nostrae, si doctrinae receptae publicisque institutis non aduersatur, in matrimoniorum causis prae Iustiniane sequuntur, eiusmodi coniugia, si ad Glossatores et interpretes illius, qui Consensum Parentum non ad necessitatem, sed ad honestatem referunt, oculum intendamus, GLOSSA in C. sufficiat 27. qu. 2. GREGOR. TOLOS. in Syntagm. L. IX. C. 3. n. 7. LANCELLOTT. Instit. L. II. Tit. 2. §. 2. ESPEN. Iuris Ecclesiastici Vniuers. P. II. T. 12.

T. 12. C. 4. n. 19. et seqq. omni modo rata habere; itemque cautum esse in Declaratione Religionis CAROLIV. A. 1548. Tit. vom Sacrament der Ehe 5. 9. Rigorem etiam Legis Iuliae et Papiae, quas per Praecepta Legum innuit Iustinianus, plurima mitigauit sequior Iurisprudentia, in l. 68. de iure dotium iuncta l. 7. §. 1. ff. de Sponsal. quas si ad filii nuptias familiam egredientis, quod praestantissimi ICtivoluerunt, v. CVIAC. in notis secundis ad Tit. Instit. de Nupt.. MERIL. l. all. restringamus, in auxilium tamen venit Constitutio ALEXANDRI allegata in l. 5. C. de Nupt. quae patrem exhibit cognitis filii familias nuptiis non contradicentem, et dum de Patre loquitur qui et cognoscere potuit et contradicere MERILLII explicationem, qui absentem, furiosum, aut captum ab hostibus fingit, facile elidet. Accedit quod Iure Codicis, ratihabitio omnis, si alterius ius non interuertat, in praeteritum valeat, et ad principium aëtus retrotrahatur. l. 7. C. ad SC. Maced. l. 25. C. de Donat. inter Vir. et Vxor. BALDVIN. et ACOST. ad pr. I. Nupt. HVBER. in Praelect. ad Tit. Instit. de Nupt. §. 10. et π. Tit. de ritu nupt. §. 5. vt inciūile fuerit, illud quod additur l. 5. alleg. NON VERENDVM scili-

B

cet

cet esse, nepotem suum non agnoscat, in nepotem secuto demum consensu tacito natum velle transcribere. Consensum igitur tacitum admittunt plerique omnes. CARPZOV.  
**L. II.** Tit. 3. def. 42. ENENCKEL. de Privileg. Parentum priu. 6. c. 2. BRUNNEM. ad l. 5. C. de Nupt. HOPP. ad S. 1. I. de Nupt. BERGER. in El. Proc. Matrim. S. 33. LEISER. Med. ad π. Vol. V. Spec. 291. Med. 5. quod nihil intersit, quo pacto interueniat verbis an factis animi sensa exprimentiibus, cuiusmodi silentium liberum cum scientia rei ad ius silentis pertinentis coniunctum merito pro consensu habetur. R. 43. de Reg. Iur. in 6to. MASCARD. de Prob. Concl 1360. n. 1. MENOCH. L. II. Praef. 74. n. 6. sequ. Quando autem de ratihabitione quaeritur, an in praeteritum efficax sit, nonnulli affirmare dubitarunt, GERHARD. in resp. apud Dekenum Vol. III. S. 4. n. 29. CARPZOV. l. all. def. 41. sed praeter rem, ut opinamur, nisi incestus causa, lege diuina notata, refragetur. Nam quod illos mouet coniunctionem diuinam, quae, non nisi obseruatis diuinis praeceptis adesse posset, impediri, minime id efficit, quo minus accidente ratihabitione

tione eius, cuius ius laesum est, in legitimum retro matrimonium euadat; praecipue cum et liberorum intermedio tempore editorum saluti sit consulendum. CHEMNITIUS certe ob hanc ipsam causam et quo scandalum evitetur, rescissionem noluit, *l. alleg. §. 5.* Eandem in sententiam responderunt Lipsienses Theologi apud D E D E K E N V M *l. all. n. 41.* vbi hanc communem vocant obseruantiam Consistoriorum. Vulgata etiam doctrina et in foro recepta, quamque ipsimet admittunt dissentientes, GERHARD. *in loco de Coniugio §. 164.* et CARPOV. *L. II. def. 60.* Sponsalia sine Parentum consensu contracta, accidente copula carnali siue praecesserit, siue sequatur, haud rescindi, sed consummationem per benedictionem sacerdotalem contrabentibus iniungi ob matrimonium presumptum. *c. 30. X. de Sponsal. BEVST. de Matrim. 47.* CYPRAEVUS de Sponsalibus *c. 10. §. 16.* Nec ambigitur liberos naturales hodie etiam ex stupro conceptos per subsequens matrimonium ita legitimari, ac si legitiimi nati essent. Quibus positis, non potest non matrimonium firmum in facie Ecclesiae rite celebratum, legitimum etiam retro

## XII

reddi, ratihabitione Parentum ex interuallo  
 accedente; idque in ipsis rerum argumentis  
 obtinere plures nostratum testantur, ENEN-  
 CKEL. l. all. c. 2. n. 7. BRVNNE M. ad l. 5.  
 C. de Nupt. SCHILTERVS Exerc. 3. ad  
 ff. §. 12. HOPP. ad §. 1. Inst. BERGER.  
 l. all. LEISER. l. 1. med. 5. Quamuis  
 etiam sine Consensu Parentum sponsalia vi-  
 omni careant, nuptias tamen illis etiam inuitis  
 secutas, nisi Ordinationibus Ecclesiasticis  
 prouincialibus aliter sanctum sit, non irritari,  
 CHEMNIT. in Exam. Concil. Trident.  
 P. II. l. 14. ad Canon. 12. §. 5. ait, et Theo-  
 logi Lipsienses apud DEDEKENVM, qui  
 hanc communem opinionem esse docent,  
 profitentur. SCHILTER in Elementis Iu-  
 rispr. ad Tit. de Nupt. §. 2. a poenis tamen  
 priuatis et publicis exhaeredatione, migra-  
 tione aliquaque, non immunes existimant. De-  
 inde et illud obseruandum, quod ut si vel ma-  
 xime nullae dici possint, Iudicem tamen Ec-  
 clesiasticum non ex officio procedere, sed  
 illius, cuius ius laesum intelligitur, implora-  
 tionem expectare, atque ita eiusmodi nu-  
 ptias manere integras, si Parentes iure suo  
 non vtantur. Sufficere autem haec illu-  
 strando

strandu argumento dubio poterunt , cum in-  
stituti ratio vitam ac studia  
**ADRIANI DE ODATI**  
**S T E G E R I**  
**L I P S I E N S I S**

commemorare postulet. Natus ille est Lipsiae  
 An. M DCC XIX. d. XXVII. Iulii, parente Illustri  
 et Magnifice ADRIANO STEGERO, *ICTo, S.*  
*Caesar. Maest. a Consiliis et Reg. Maest. Polon.*  
*Consiliario Aulae et Iustitiae, Vrbis Lipsien-*  
*sis Consule, et Senatus Seniore, Scabinatus-*  
*que Assessore, Matre vero IVLIANA SVSAN-*  
*NA, gentis SCHACHERIAE.* Rudimentis literarum priuata magistrorum institutione depositis, in contubernium et conuiictum datus est  
 GESNERO, Rectori tunc temporis Scholae Thomanae, iam Professori in Academia Goettingensi Celeberrimo, cui in docendis humanioribus M. DRESIGIVS, in explicanda Philosophia D. OLEARIVS, in stilo excolendo M. KORTHOLD, in Iure Naturae tradendo et hi-

## XIV

istoria patria enarranda M. ASSMANNVS, in  
Antiquitatibus Romanis enucleandis Prof.  
**CHRISTIVS**, et in historia vberius edifferen-  
da **MASCOVIVS** successerunt. His copiis in-  
structus non dubitauit publico se committere;  
Hinc A.D. M DCC XXXIV. orationem Latinam  
ipso die festo Paschatos in templo Paulino ha-  
buit, et paullo post, praeside M. **DRESIGIO**  
dissertationem de cicuta Atheniensium poena  
publica, in philosophorum auditorio defendit:  
Quo factum est, ut ab Inlyto Philosophorum  
ordine prima ipsi laurea deferretur. Animo  
deinde ad Iurisprudentiam appulso, historiam  
iuris et Institutiones praeceunte D. **MARCHIO**,  
Pandectas et Ius Canonicum duce priuatissimo  
D. **SCHOENIO**, Ius Feudale et praxin, praec-  
ceptore D. **BAVERO**, Ius publicum Doctore  
**MASCOVIO** hausit. His iuris scientiae subfi-  
diis munitus, praeside D. **RIVINO** Ludouicia-  
nas institutiones in ICtorum auditorio nunc de-  
fendit, nunc oppugnauit, et Candidati summae  
in vtroque Iure dignitatis officio satis fakturus  
moderante **RECHENBERGIO** A. MDCCXXXVII.  
vindicias manibus consertis sumendas ex lege  
XII. tabularum publico ICtorum examini sub-  
icxit.

e cit. A. M D C C C X X X V I I I . a Philosophorum  
ordine summos in philosophia honores retu-  
lit, quorum iura hoc ipso anno habita disserta-  
tione de antiquissimis Tropaeis populi Ro-  
mani afferuit. Eodem, quem diximus, an-  
no, vtroque examine superato pro licentia  
summos in iure honores capessendi dissertatio-  
nem inauguralem ad legem Municipalem Ro-  
manorum sine praeside publice propugnauit,  
et dein, comite nunquam satis laudando *Ioan-*  
*ne Ludouico Grimmio* peregrinationem in  
exteris regiones instituit, ac vniuersa Italia  
peragrata, et superato perquam difficulti mor-  
bo, per Galliam Cisalpinam in Transalpinam  
profectus iam Parisiis versatur; per Belgium  
vero et Saxoniam inferiorem, Deo bene  
inuante, proxime redditum honos ille in  
Iure Summus exspectat, quem etiam absenti  
decernere statuimus. Quum enim omnibus  
illis, quae a Doctoribus, qui ad Ius Ordi-  
nis nostri adspirant, praestanda sunt, ante dis-  
cessum egregie satisfecerit, iura eius et prae-  
mia diutius morari noluimus, quod hone-  
stiorum inde fructum ex laetitia Venerandi  
Senis Patris ipsum percepturum praeuidere-  
mus,

QK TTK 43 94

x 3379264

VD 18

XVI


mus, et cum ipso simul laetaremur. Solenni  
igitur Diplomate, publico sigillo munito, non  
modo ex hac die Iuris vtriusque summos ho-  
nores ipsi largimur, sed et illis, inter nos, <sup>1</sup>  
Doctoribus in albo Collegii adscribendum  
curauius, qui suo loco et ordine aliquan-  
do inter eos, qui de Iure respondent, admit-  
tuntur. Faxit Deus feliciter. Dab. VII.  
Mart. CCCC XL. Lipsiae.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



467

B.I.G.



QK4976

J546

Hk  
4394

ORDINARIUS  
SENIOR ET CETERI DOCTORES  
COLLEGII IVRIDICI  
NOBILISSIMO AC CLARISSIMO  
ADRIANO DEODATO  
STEGERO  
LIPSIENSIS

SVMMOS IN IVRE HONORES

D. VII. MART. CIOCCXL.

COLLATOS  
INDICVNT

*De nuptiis suorum amato celebratis*

